


Biblioteka Jagiellońska
stdr0010445

3

FERALIS
JN KOTFICIO CAMPO
CVPRESSVS,

inuida Libitinæ manu
ad luctuosissimum obitum
JLLVSTRISSIMI OLIM & MAGNIFICI DNI

D. CASIMIRI
DE RADOMICKO
RADOMICKI
CASTELLANI CALISSIENSIS, MOSINENSIS &c. CAPITANEI.

magni & desideratissimi SENATORIS

PLANTATA.

&

dùm Posnaniæ in Ecclesia PP. Carmelitarum Discalceatorum.
Iusta ei Funebria
summo omnium dolore persoluerentur
in vim debitæ gratitudinis Benefactoris sui.

à

M. IGNATIO IACOBI
in Alma Vniuersitate Cracouiensi Philosophiæ Doctore, ac interea in Academia Posnaniensi Rhetoricæ Professore, Contubernij Szoldrsciani Præfecto.

parentalis calami obsequio
luci publicæ

EXHIBITA.

A. D. 1699. die 23. Mensis Ianuarij.

TYPIS ACADEMIÆ POSNANIENSIS.

Jn Gentilitium

ILLVSTRISSIMÆ

RADOMICCIANÆ

Domûs Insigne.



Funereis CAMPVS lachrymis RADOMICCIVS vndas
　Atq; nouo planctûs mergitur ille freto.
Pullatus dolor hîc stagnat, lessumq; gementem
　Nutrit deciduis officiosus aquis.
Dira sepulchralem simulac Libitina Cupressum
　Tristi KOTFICIIS omine seuit Agris.
Illicò funebres luctus, queruliq; dolores
　Triste parentando composuêre salum.

ILLVSTRISSIMIS

&

MAGNIFICIS DOMINIS

D. MATHIÆ,

D. ANDREÆ ALEXANDRO,

D. STEPHANO IOSEPHO,

D. VLADISLAO,

de Radomicko

RADOMICCIIS

CASTELLANIDIS CALIS-SIENSIBVS,

MOSINENSIBVS CAPITANEIDIS.

Dominis & Patronis Amplissimis.

PRodit in publicum ante conspectum Vestrum pullata mea Pagina. ILLVSTRISSIMI & MAGNIFICI DOMINI. *Quæ nuper ab immiti Libitina in Gentilitio Vestro* CAMPO *plantatam feralem Cupressum, Vestris nunc spectandam exhibet oculis. Triste quidem munus & serenæ* Illustrium *luci non tantoperè conforme: nisi quoq; & ipsa inter sepulchrales luctus, lessum spiret & atrato syrmate communem testetur dolorem. Mouit eius officiosam mentem crudele* Fatum Illustrissimi *olim Parentis Vestri, vt lugubri dolentis calami obsequio, augustis illiûs parentaret* Manibus. *Imparem se certè huic illa Officio ac tàm sublimi argumento minùs aptam fatetur: amplitudine* Nominis *Vestri & gloriæ, imbelles anhelantis superante humeros: Ast cùm non raro:* Conamur tenues grandia. Etiam-

prom-

promptæ eius voluntati dabitur venia, si non ex condigno laudes attigerit, Sophoclæo potiùs cothurno, vel Pindari tentandas plectro. Augustæ gloriæ Nominisq; Vestri dignitas, in sui præconia, non vnius olim Demosthenis aureum os, aut Plinij eruditum calamum animabit. Sed quid laudes innuo? Non affectat peregrinam alienæ facundiæ opem, cuius immortalem gloriam operosa sustentat Virtus. ac negligit elaborati sermonis apparatum, mellitiq; Oris aspernatur dulcorem, quem factorum, non verborum immortalia circumstant decora. Serenam itaq; frontem parentanti meæ explicate Pagellæ, quæ Illustrissimam Vmbram non minùs in Vobis, quam in vocali calamo perennare ambientem, immortalitati commendat siquidem: Quem Musæ referent, viuet. Acceptate mea in augustos Illustrissimi Senatoris Parentis Vestri MANES studiosa obsequia ac officiosa studia, quæ ita claris Cineribus in reuerentiam submitto, vt vestro simul applaudam honori.

Vestrarum Illustrißimarum
& Magnificarum Dominationum

deuinctissimus seruus.
M. IGNATIVS IACOBI
P. D, R. P. C. S. P.

FERALIS IN KOTFICIO CAMPO CVPRESSVS, inuidâ Libitinæ manu PLANTATA.

Tristes cupressos ac fatales taxos,
nemini vnquam spectare concessum est,
nisi quem Tragico spectaculo
juuat mortalitatis admoneri.
Exitiale semper habitum,
si feralis Cupressus
tristium securas obsedit ædes,
illis inauspicato, nec uano omine
è vestigio dira lethi incubuit necessitas.
Lugubri obsequio,
ut defunctorum cineribus parentaret,
sua illam vitæ ratio & naturæ facultas,
tristi huic damnauit officio.
Luctibus oculi,
gemitibus ac suspirijs pectora destinantur,
vbi funesta hæc arbor,
inuisas frondium explicat comas,
dirum ac ingratum mortalibus omen.
Pio lachrymarum stillicidio,
malè ominosæ litare decet,
quæ funebrium nuntia,
ad dolorem spectantium,

* flebi-

flebilem scenam & sepulchralem instruit apparatum.
Quorum fata crudelis Libitina
fatalis huius ligni signat calculo,
negatæ illis vitæ subicit tesseram
Ferreus illos lethi sopor occupat,
quibus profundam quietem
somnumq; inducit perpetuum,
arboris funereæ vmbra & occulta potestas.
Sic equidem
tristi fatorum lege
miseri vrgemur mortales:
cùm ea vitæ nostræ conditio est,
vt mori, etiam optimi portus sit.
A die, quo nascimur,
moriendi sumimus auspicium
certè non incerta morti victima futuri.
Nascentes morimur, finisq; ab origine pendet,
ac extremus dies, æterni natalis est.
Sic quidquid ortum est, exitus occupat, premitq; finis.
Agunt opus suum fata,
quibus euitandis superuacaneum est,
vota & studia nihil profutura impendi.
Frustra dulcis illecebra vitæ
constantem demulcet affectum:
cùm omnis hora, per tacitos fallacesq; cursus,
nos applicet Fato.
& protrahendæ vitæ blanda spes,
ingentes plerumq; frangat animos.
Nemini quippè vita datur mancipio,
omnibus vsu.
Porrò dùm vitam nos agere securam arbitramur,
mors vbiq; comes nostro adhæret lateri,
quæ vt facilius obrepat,
sub ipso vitæ latet nomine.
Trita mortis via,
aberrare, vel deflecti ab illa,
nemini vnquam licuit.
ita, vt tendentes ordine, non fine varicmur:
cùm sit fixus vnicuiq; terminus

Atti-

Attigit hunc
metasq; dati peruenit ad ævi,
sæuo fatorum iure ereptus terris,
Illustrissimus olim & Magnificus Dominus
D. CASIMIRVS
de Radomicko
RADOMICKI,
Castellanus Calisiensis, Mosinen: &c.
CAPITANEVS.
quem immitis sustulit Libitina,
in cuius Gentilitio Campo
feralem erexerat Cupressum,
funereos luctus & sepulchrales excitura nænias.
Succubuit mortalitatis legi,
cui neminem resistere posse;
sed illius potestatem ac ius
in omnes pariter extendi nouerat.
Dignus vel exinde laude
quòd in procinctu semper eius stetit animus,
id, quod necessitatis, nunquam metuens;
quod incerti, expectans.
Non debet etenim mors eorum silentio præteriri,
quorum vita diues laudum & encomiorum exstitit.

I.

Majorum series & Auita Prosapia,
Illustrissimi Senatoris.
Præcipua gloriæ portio est,
veteri Prosapiâ nasci
& diuturno sæculorum tractu, per memores Fastos,
antiquitatem illustris generis deducere,
non vltima probatur laus.
Iuuat certè longo sanguine censeri.
Quo gloriæ & felicitatis argumento,
inter alias Nobilissimas Familias,
Illustrissima Radomiccia Domus,
non immeritò extolli potest.
Cuius antiquitas si inquiratur,
illam

vel

vel cum ipso statim Lechæi throni fundamento natam,
dignitas eius & amplitudo probat.
Postquam Princeps aduena Lechiæ Parens,
in his desertis campis peregrinum fixit pedem,
illicò etiam KOTFICIVM enituisse CAMPVM,
probabile est:
vt dubium sit,
an non in KOTFICIO CAMPO,
noui protunc Regni iacta fundamenta?
in quo
Regina volucrum generosa Ales ac Sarmatici sceptri insigne,
sua olim haberet incunabula.
cùm & ipsa nomenclatura Campi,
nutantem detegat veritatem.
Iactet Ascia,
quæ struxit Lechici cunabula Regni,
inter alia Sarmatici Orbis Clenodia primatum;
ast & hæc non extra Campum,
natiuo splendet honore.
Etiam illa campestri conclusa situ,
intra Campi Orbitam,
eximium sui nouit decus.
Et reliqua Lechæi sceptri insignia,
quæ etsi vetustâ suæ originis dignitate commendentur;
illorum tamen splendor
non excedit natiuos campi limites.
Debetur non parua KOTFICIO CAMPO laudis adorea:
quod cùm alia Gentilitia Arma,
suam in cognatis Campis habeant stationem,
ipse sibi sit sedes, ipse situs, ipse domicilium,
vt iure meritò cæteris antecellens,
securus suæ amplitudinis & honoris
facilè teneat Principatum.
Nobilissimus?
Qui, non Pomonæ, aut Alcinoi munera,
Tantaleam non fugaci solatio depellentia famem:
non herbosas dapes,
Prothei pecoris impastam exsatiantes orexim:
nec deniq; breui admodum vitales oculorum delicias
superbæ Chloridis dotes producit;
sed Cæsarum

Cæsarum Coronas, Regales Thronos,
Archiepiscopales Cruces, Pontificias Tiaras,
Principum Mitras, Senatorias Curules,
Ducales Clauas, Mareschalcorum Insignia
& reliqua trabeati honoris decora
diuite parturit sinu.
In quo
Vniuersa hæc honorum supellex,
quam Virtus & Fortuna
liberali inseruit vel inserit manu,
non alibi meliùs renidens efflorescit.
Primum KOTFICIÆ GENTIS Authorem
IOANNEM POCHNERVM
fidi gestorum testes celebrant Annales,
qui Marchio & Liber Baro ex Austriaca Familia
genus & originem ducens,
Aduena Sarmatici Oris
Augustum Austriacæ Domûs germen intulit.
tot Cæsares & Reges,
tot Principes & Dynastas
Lechico producturus Orbi,
quot KOTFICIOS
auitæ libertatis Assertores.
Placuit in sedem & hospitium Lechicæ Aliti
KOTFICIVM deuouere CAMPVM,
in cuius sinu
biceps Austriaca Ales
à numerosa annorum serie
hucusq; tutè concessis fouetur cunabulis.
in quo
Augusta Romani Imperii viget Majestas,
& approbante Polo
perennatura eius dignitas
secuturis etiam florebit sæculis.
Magnus hic suæ Gentis Parens,
quem vicini soli traxit libertas
KOTFICIO innata CAMPO,
nescio vllis probrosi iugi coarctari mænibus,
factus nouus Incola terræ,
C subito

subitò Patrios induit mores.
Quibus ita eminebat,
vt verus Lechiæ indigena videretur.
Nil peregrinum,
nisi sanguinem, virtutem & facultates retinens.
Successit tanto Parenti
genuina proles
HENRICVS
Magni Sarmatici Æneæ non degener Ascanius;
cuius etsi non modica laus censetur,
alto sanguine & innatâ virtute commendari,
maiorem tamen gloriæ & encomiorum cumulum
Paterno superaddit honori
inter cæteros Filios
tanto non indigna Parente soboles
IANISLAVS Archiepisc: Gnesnen:
qui natam sacris indolem
Diuino aptando cultui,
totum se cælestibus deuouit studijs.
Cruenti Martis amor,
quo KOTFICIA DOMVS
perennaturi sui Nominis comparauit gloriam,
non arrisit pio pectori,
cuius immunem Bellonæ curis & tumultu mentem,
statim in primo adhuc ætatis flore
occupauit pietas.
quando
loco Heroici paludamenti aut militaris balthei,
Pontificio indutus murice,
pro casside, tiaram: pro hasta aut ense
Episcopale sumpsit pedum:
æquè gloriosum existimans
Orationibus ac armis pro Ecclesia Dei certare
& Hæreticos veritatis argumento,
quàm hostes telis conuincere.
Primò hunc
Posnaniensis excepit Cathedra,
cuius regimen & rectè administratus honor,
cùm dignum capessendi altioris fastigij probâsset,
mox eundem abrepto Fatis

BO-

BORISLAO Archiepisc: Gnesnensi
Metropolitana Ecclesia
Electum venerata est Archipræsulem.
Non contradixit VATICANA SEDES
tàm dignæ Electioni eius,
quem
pietas, eruditio, compti mores
& pulchra virtutum series
jam pridem Ausonio commendauerat Orbi.
Proinde à CLEMENTE V.
protunc Summo Pontifice
in Archiepiscopum Gnesnensem consecratus,
Illustri Virtutum documento
dignum se tanto probauit honore,
cui triginta & duobus præfuit annis.
Iustum eius honori congerunt gloriæ argumentum
DVO REGES SERENISSIMI
VLADISLAVS LOCTICVS
&
CASIMIRVS MAGNVS
hic pace, ille armis præstantior,
quos Magnus is Archipræsul coronauerat.
digni,
quorum laureatos vertices sacratæ tanti Viri manu
Regalibus decoravêre coronis.
In promouendo Dei cultu,
quali æstuaret pietate,
vel ipsa Ecclesiæ Ordinis Prædicatorum
in Vrbe Zninensi ab illo fundatæ
testari possunt monumenta.
Adauget iustam Panegyrim
succedens gloria
Verus KOTFICII CAMPI surculus
DOBROGOSTIVS.
RADOMICCIVS.
Cuius amorem & fidem in Rempublicam
Zelus tuendæ eius integritatis declarat.
Hic
vt se amantem Patriæ probâsset Ciuem
duran-

durante Interregno
post Fata LVDOVICI Poloniæ
& Hungariæ Regis
inter alios Regni Proceres boni publici studiosos
adscribi & annumerari curauit.
Paratus pro salute eius effundere sanguinem,
quæ illum intra sua viscera natum,
suo educauit sinu.
Alijs in vota & calculos effusis ac applaudentibus
D. HEDVIGI Filiæ
LVDOVICI Regis,
ipse quoq; Electioni eius fauit, addito calculo,
iustum reputans:
vt Virgo Paterno succederet honori ac solio,
quam sceptri throniq; Regalis hæredissam,
tanto fastigio ac regimine dignam,
portio auiti sanguinis,
insignis forma & virtutis honor commendabat.
Nec minor encomiorum debetur census
IOANNI KOTFICZ.
qui
Gentilitium Nomen
perennè victuris anhelans commendare fastis,
insignem condidit Ciuitatem
à suo Nomine KOTFICZ appellatam.
Non satis duxit illustris Heros
Virtutibus & innatâ dexteritate
non morituram venari famam,
nisi quoq; à rudi lapidum mole
& fastu tumentibus monumentis
immortalitatem Gentilitij sui nominis quæsiuisset.
Ampliori gloriæ succedit passu
immortale decus. Palladis & Phœbi,
Præsulum apex,
amor Regum ac æui sui gloria
ANDREAS ARCHIEPISCOPVS
GNESNENSIS
Cui
Gentilitij sanguinis splendor,
præ-

præclaræ animi dotes ac insita pectori virtus
inprimis Præmysliensem contulerat Tiaram,
altioribus posthac egregiam indolem decoratura
sacri honoris fastigijs.
Mox & illum Plocensi præfecit Cathedræ.
Nouæ eius sorti,
quòd illo Præsule gloriaretur Plocia,
Metropolitana inuidit Sedes;
ast & huic fauorabilior arrisit Fortuna:
etenim vitâ functo
MATHIA DRZEVICCIO
Archiepiscopo Gnesnensi
illum è voto omnium
desideratissimum excepit Antistitem.
Ast publico malè fauit plausui
non diu vitalis honor,
dùm inclementiâ fatorum immaturè concidit,
biennio nonnisi in Archipræsulea sede, exacto.
Eò grauiori vulnere pia Matris viscera
crudele lancinauit fatum,
quò dignum Nestoreo æuo,
ab eius complexu tempestiuè abreptum
implacabilis sustulit Libitina.
Verùm
pulchrum est vitam consummare ante Obitum;
siquidem
ex omnibus bonis, quæ Natura largitur mortalibus
nullum est, tempestiuâ morte melius.
Acerrimum Ecclesiæ fuisse Defensorem,
eruditus eius testatur calamus,
quo Orthodoxam strenuè tuebatur fidem,
impias Lutheri & Caluini hæreses,
à Vaticana Sede
damnatas
veritatis argumento doctè refutando.
Hinc dubium est?
maioremnè illi gloriam & laudum apotheosim
insignis doctrina & zelus tuendæ Religionis,
quàm tot congesti amplissimi honores parturierint.
D Non

Non in parciores laudes ac elogia
obsequentem vrget calamum
spectata virtus & probitas morum
HENRICI I Episcopi Cuiauiensis.
Huic
Natalium splendor & probata animi integritas
capessendi Præsulei honoris
grande fuère argumentum.
Habet equidem,
quo glorietur CVIAVIENSIS CATHEDRA.
quòd HENRICVM
Magnum inter cæteros numeret Antistitem.
quem
in commodum Ecclesiæ ac perennem sui quoq; gloriam
KOTFICIVS produxit CAMPVS.
Sacratas complet laudes
NICOLAVS Archidiaconus Posnaniensis
Gnesnensis Canonicus. V. I. Doctor.
Magnus hic
Religionis & Themidis Cultor,
iusti ac æqui arbiter,
cælo addictarum mentium Tutelaris;
quem
præstantissima Virtutum possessio
& iuris Pontificij legumq; peritia,
non solum principalioribus Cathedris.
ast quoq;
Serenissimi olim ALEXANDRI I.
Poloniæ Regis
throno commendatum reddiderat.
In defensione Ecclesiasticæ libertatis,
egregiam eluxisse operam tanti Prælati
turbidus protunc spiritualis Reipublicæ agnouit status,
indefessâ eius curâ ac insigni prudentiâ
Raptores & Inuasores bonorum Spiritualium
conuinci videndo.
qui vt & in posterum
cleri sacrorumq; securitati prouidisset,
Priuilegia & Statuta Immunitatum Ecclesiæ
ab

ab ALEXANDRO Regę approbari curauit.
Magna Nobilissimi sanguinis
ac ingenitæ virtutis commendatio,
non finit præterire
alterum eiusdem Nominis
NICOLAVM Stabuli Regni Præfectum.
Inculpata morum facultas
& generosus animi vigor
Regali commendauerant Majestati
excellas tanti viri dotes.
Nec alium à vocali laude
censuram agens inuenit genius
Serenissimi olim & Inuictissimi
SIGISMVNDI I. Poloniæ Regis.
Dignum proinde suo Regio censuit fauore
Serenissimus Princeps,
cuius pronam mentem
suo augusto mancipatam nutui apprimè nouerat;
dignum certè
quem non tantùm Officialem Regni ςreâsset;
sed
qui etiam Senatorijs eminuisset Curulibus,
non ægrè respondente tantis Officijs
aptâ satis eius indole.
Non dispar generosi pectoris
ac Heroæ virtutis gloria
STANISLAI Generalis Palatini Masouiæ
subit celebranda.
Is vt se ex ipso quoq; Nomine
genuinum non vn bratilis gloriæ probaret hæredem
illustre augustæ mentis
ac maturæ prudentiæ expressit documentum.
Legatus in Galliam missus
cum aliis Regni Proceribus
HENRICVM VALESIVM
Electum Poloniæ Regem
in Sarmaticum deduxit solium.
Breui profugum,
iterùm legationis functus Officio,

in

in desertum thronum reuocare studuit;
ast irrito effectu:
quippè mellita Sarmatici Periclis suada,
necquidquam flexit obduratam mentem profugi,
qui Patrio allectus Sceptro
exoticum repudiauerat,
renuens in Reges:
quia liberas Polonorum Mentes
limitatam habere potestatem.
Admirabundus Sequana
bis spectauit peregrinam Majestatem,
& Magnum Lechiæ Cyneam veneratus est.
gestiente Patriâ,
eius innatæ dexteritati tantum commisisse negotium,
cuius studioso gloriæ nisu
& sumptuoso obsequio,
exotico soli ac solo
Lechææ Gentis probata amplitudo,
commendata dignitas.
Adæquat tantorum Nominum laudes
genuinus KOTFICII CAMPI palmes,
Illustrißimæ Svæ Domûs gloria.
Amor populi & Lechici Orbis delicium,
HIERONYMVS RADOMICKI
Palatinus Inouladislauiensis
Wschouensis, Mosinensis &c. CAPITANEVS.
Magni Nominis,
Majoris virtutis,
Maximæ gloriæ Herôs.
Quem primò eadem,
quæ & Antecessores eius
Auita Virtus & RADOMICCIANI Nominis
amplitudo
Capitaneum Wschouensem & Mosinensem
constituit.
Breui eundem
Meritorum & Heroæ fortitudinis commendatio promouit,
& ad Krzywinensis Castellâneatûs
extulit dignitatem.

Neq;

Neq; is honor
Augustæ tanti viri potuit respondere Majestati,
ampliorem præeminentiæ censum
exigente illius meritorum gloriâ,
nisi quoq; in trabeati honoris dotem
virtutisq; præmium,
Inouladislauiensis Palatina Curulis
venisset.
Sensit Sarmatici Alcidæ fortem manum,
non minùs Moschouiticus Draco,
quàm & plerumque suo malo renascens
Orientalis Hydra.
Nec tulit illius inuictam fortitudinem,
quem nouerat
strenuum semper Patriæ agere Hectorem.
Moschouiticæ & Chotimenses laureæ,
quæ Serenißimo SIGISMVNDO Tertio,
simulque Lechæo Orbi
immortalem pepererunt famam,
etiam RADOMICCIANO debentur honori
Magni HIERONYMI.
Cuius inconcussæ virtuti,
non semel numerosæ hostium succubuêre vires.
Nec tantummodo
Martium ille anhelabat spiritum,
vbi Achilleam exuerat mentem,
diuitem consilijs ferebat genium:
vt si bellaces animæ
duris Bellonæ non incumberent studijs,
& furenti chalybi intrepidæ parcerent manus:
ipse quoque Martialem temperans æstum,
incruentâ consiliorum ope
fatiscenti Patriæ subueniret
prudentissimus Nestor.
Heròa tanti Viri facta,
immortalem Nominis eius pollicentur gloriam,
qui
Virtute armis & prudentiâ
parandæ immortalitâti studuit.

Acce-

Accedit in complementum
Auitæ ac Paternæ simul gloriæ
Nobile par Fratrum
Castor & Pollux
MARTINVS & CASIMIRVS,
Magni Parentis Magna Soboles.
Non humilis mens aut ignauus spiritus
generoso insiderat pectori
MARTINI Wschouensis Capitanei,
in eum honoris gradum
hæreditariâ illum promouente virtute.
Cuius
consiliorum prudentia, oris lepor & Suada,
multoties ita fluctuantes Ciuium animos
in Comitijs & Regni Conuentibus, deliniuerat;
vt non secus acsi alter Gallicanus Hercules
suspensas malè cohærentium mentes concatenâsset,
& placido deuinxisset eloquio.
Expertus est tanti Viri genium
& oris felicitatem,
Serenissimus olim ac Potentissimus
VLADISLAVS IV.
maximo cuiuis non imparem officio:
cùm sæpius ille è voto exposcentis throni
in Comitijs pro Regia domo Orator
fraternis persuasit mentibus.
Vlyssem certè aut Demosthenem
ingenij judicijq; probauit dexteritas,
cuius dulci facundiâ & maturis consilijs
faciles acquiescerent animi.
Anteit laudes & encomia Parentis,
cuius etiam quinquennio præuenit fata
immaturè crudeli fatorum abreptus decreto.
selectus KOTFICII CAMPI flos,
genuina voluptas ac delicium Parentum,
blanda Patriæ spes,
perenne fraternarum mentium desiderium,
breue admodum æui ac formæ suæ decus;
diu victura in addictorum animis Domûs suæ gloria
IOAN-

IOANNES RADOMICKI
Castellanides Calissiensis &c:
Fortunatum sidus huius affulserat Ortui,
arridensq; nouo lucis & auræ candidato,
benigno iubare infantiles lustrauerat cunas.
Cui & Natura quoq;
fauorabilem se præstiterat,
dùm eum ita efformauerat,
vt ad commendationem eius, nihil defuisse videretur.
vultum decorum, mores comptos & modestos,
facile pectus ad virtutes & seria,
nescium inuerecundis succumbere illicijs, largita.
Quibus naturæ donis
indocilis eius extolli animus,
quamuis formæ venustate Adonidem superaret,
prudentiâ Paridem,
constantiâ mentis Catonem, referret.
Iuuenis virtutum æquè ac literarum cultor,
Fortunæ, quæ eius nutui arridentes pollicebatur vices,
apprimè capax.
In quo refulgebat
magnæ virtutis spes
germenq; honoris.
Suus illum commendabat ardor
& maiora spirans animus,
quàm quæ priuatorum studia optare audent.
Totus in illo Auus,
totus Pater,
tota augustæ stirpis Majestas.
Vltra ætatem
specimen generosæ indolis in eo adoleuerat,
(*virtus quippè non exspectat annos*)
qui studia & Nobilissimæ Prosapiæ suæ vota,
non vano solatij argumento olim impleturus erat,
spei & votorum compendium factus.
Ast inuida Lachesis
immatura vitæ eius abrupit stamina.
cùm vix vno anno supra tria lustra exacto,
teneram mentem
docilemq; genium literis imbueret.
Nega-

Negauit speciosum hunc florem
diutiùs in Gentilitio CAMPO succrescere,
cuius fragrans virtutum odor
ignotas etiam in sui amorem rapiebat mentes.
In ipso ætatis flore
pulcher flos emarcuit,
succisus mortalitatis falce,
qui diuturniori dignus erat æuo.
Contra omnium vota
Parentalibus addictus vmbris,
exstinctam spem & solatia mæstorum Parentum
in gelidam vrnam secum detulit;
posthumo in cordibus superstitum graui dolore
ac iusto sui relicto desiderio.
Ille tamen
memori non excidet æuo,
victurus in non obliuiosis mentibus,
cui fatorum inclementiâ
vltrà in terris viuere negatum est.

II.

Splendor Cognati sanguinis.

Hactenùs natiuæ laudes,
nunc cognatæ subeunt,
quæ priuilegio coniunctionis
facundum poscunt calamum.
Et quamuis Natalium gloria
extranei non egena decoris,
ingenito satis commendetur splendore;
nihilominùs, vt ex geminata luce
congestisq; Prosapiarum radijs,
clarior emineat,
inquirendis etiam cognatis luminibus,
obsequentem iuuat deuouere pennam.
Victor SOBIESCIORVM Clypeus
præstantior ementito Numæ Pompilij,
in RADOMICCIO CAMPO
augustum fundit splendorem:
vt in hac genuina Martis areâ,
obstans vulneribus crudaque Bellonæ supellex
glori-

gloriosiùs triumphet.
Vmbo hic
Regalem possidere thronum meruit,
qui Lechicos ornans & armans Falces
vnicum Aquilæ Polonæ tegumen
ac præsidium celebratur.
Est vnde gratuletur sibi Lechia?
quòd contra insultus hostium
inuictum habeat Ancile,
cuiùs resistente inconcussâ virtute,
facilè barbarorum eluduntur impetus.
Vasto laudum affluit gurgite
RADOMICCIVS CAMPVS,
dùm immortalis gloriæ
ac gestorum fluentis diuite
LVBOMIRSCIORVM SRZENIAVA inundat fluuio.
Illustre hoc Elementum
fertilitatem donat humectatis,
quibus indeficienti lymphâ
suus abblanditur alueus.
Nesciunt sterilitatem KOTFICIA Tempe,
quorum campestria perfudit
liquida SRZENIAVÆ Crystallus.
Parcat jam Ægyptus Nili,
India Gangis, Lydia Pactoli laudibus,
Nec aurifluos gemmiferosq; fluuios
deprædicent longinquæ ignoti Orbis Regiones.
Etiam illis non inferior est Lechia,
quam non fabulosus Hydaspes,
aut superbus diuite arenâ Tagus;
sed Nobilior SRZENIAVA irrigat,
in Patriæ bonum & mille commodorum vsus,
non paupere exundans tractu.
Nota hic statio
Nobilissimæ
OPALENSCIORVM, SZOLDRSCIORVM,
TOMICCIORVM, & GORSCIORVM
Naui.
quæ ad hunc CAMPVM
tanquam ad fortunatas Insulas
F &

& bonæ ſpei Promontorium
ſecundo enauigauit curſu.
Fortunati iaſones,
quos in Lechicam Colchidem,
nimirùm:
ad RADOMICCII CAMPI littus
ſua illuſtris detulit Argo.
Sæuiat potens fluctibus dominator æquoris
ac immitem concitet Æoliam,
non pauet minas & furentes procellas
animoſa Rates,
quæ virtutum remigio,
Syrtes & Charybdes ſuperat,
infames ſcopulos Acroceraunia vincit.
In hac quoq; Bellonæ area
Lechicus Mars
Victorioſum expandit ZEBRZYDOWSCIORVM Vexil-
Non vanam trophæorum ſpem Patria (lum.
aut inauſpicatum concipiebat victoriæ omen,
quoties triumphale hoc Labarum
hoſtium viribus æquè ac oculis
ſpectandum oppoſuerat.
Inclyta DABSCIORVM Pinus
in hoc etiam Campo
patulas ſuas explicat frondes,
vbi officioſas ſpargendo vmbras,
Martiales curas & ſtrenuos demulcet labores.
In velamen Patriæ
frondoſum inclinat decus:
ſiue eius ornatui
ſiue defenſioni obſequendo.
dùm non magis in illius tutamen
haſtas, contos & minacem Gradiui ſupellectilem,
quàm in ornamentum
Curules, clauas & auguſta honorum producit inſignia.
Bellax BRANICCIORVM & VIEYSCIORVM Gryphus,
non ad aurifodinas Arabum
& diuitem terræ ſinum excubat;
ſed in hoc amplo gloriæ CAMPO
auream libertatem & Patrios tuendo Penates,
per-

peruigilem agit.
Aliorum fortitudinem pedeſtris alacritas
in Martiales retardat auſus;
Aſt audax Gryphus
in hoſtiles turmas concitato ruit impetu,
cui pius amor
in defenſionem Patriæ
alacres aptat alas.
Amplior RADOMICCII CAMPI emergit Majeſtas,
quando cognatos
KRZYCCIORVM, & DALESZYNSCIORVM
KOTFICIOS CAMPOS
in vnionem recipit.
Theſſala Tempe ſuæ puderet tenuitatis,
ſi KOTFICIORVM ſpectarent amplitudinem.
Sua etiam Tempe jam habet Sarmatia
aut certè Elyſios è Græcia peregrinos.
in quibus
non Parentales vmbræ, defunctiq; Manes
humanis exempti curis,
pacatiori fruantur æuo;
ſed vt exſpectata melioris ſæculi origo vernet,
larga honorum ſeges
ac optatæ ſortis votorumq; meſſis
floreat & ſuccreſcat.
Præclarum OSSOWSCIORVM Ceruinum Caput
diligentiores non titubante oculo agit excubias
in KOTFICIO CAMPO,
quàm peruigil draco in Heſperidum viretis,
vel centoculus Argus
Iunonis ſuſpicioſo timori obſequens.
Portentoſum Meduſæ caput
(cuius vel ſolo intuitu
in mutos lapides ſiliceſq; duros
incauti degenerabant mortales)
inepta veterum pietas
cæleſtibus addixit Phœnomænis.
An non glorioſius Caput hoc?
ad cuius aſpectum
non ſemel aduerſa obriguère pectora
ac

ac hostium exanimatæ procubuêre vires.
Dignum profectò
vt cui suus habetur honos
inter præstantissima Lechæi Zodiaci insignia,
supernis etiam associatum
nouam in firmamento iaciet gloriam
Virtutibus & meritis consonam.
Illustri BVKOWIECCIORVM Sagittæ
non alibi perennaturæ gloriæ meta digni
quàm in RADOMICCIO CAMPO:
vel semicirculo Annuli conformior capacitas
quàm in eius planitie,
vbi virtus & dignitas
Volucri sagittæ & sociabili annulo
felicem destinauêre scopum.
Gloriosior expeditæ huius Sagittæ ictus
in obstantia hostium pectora,
quàm Apollinis in Pythonem vel Briareum,
Et nobilior orbicularis metalli dignitas
amicas iungentis mentes,
ipso Gygis Annulo,
abditos mortalium inquirente mores:
vel Alexandri,
obsignante amicum os Hephæstionis,
Hic quoq; reponi meruit
vetustate originis & meritorum splendore
clarissima REIORVM Ascia,
Lechæi fabricatrix throni.
Digna certè fuit illa
in aprico KOTFICII CAMPI locari,
digna in propatulo conspici;
quæ spectante orbe & sole
nunquam non liquida egit.
& quam
semper Architectam immortalis gloriæ
ac perennaturi nominis exstitisse,
Sarmatici stupuêre Triones.
Feliciter POGORZELSCIORVM & GRABSCIORVM
iacta est alea,
quando in lusorium abacum

vel

vel potiùs in ludum
idem ipse cessit Campus,
qui semper non dubitante genio,
amplissima fortunæ & honorum
vsq; habetur Area.
In qua
non sic Pæstanæ,
quàm IAKTOROWSCIORVM
& ROZRZAZEWSCIORVM
vernant Rosæ.
Pulchriùs hic nobilissimi floris surgit honos
& duraturi nominis viget gloria.
Laudabiles Rosæ,
quæ
in hostes aculeis armatæ,
propter victores coronamentis fæcundæ.
Celebrem BARANOWSCIORVM
& ZEGOCCIORVM Soleam,
quam Heròá dexteritas
& virtutum vsus perpoliuit.
RADOMICCIVS excepit CAMPVS.
vbi illam
millena laudum emetiri stadia
ac diuitis gloriæ iuuat emereri plausus.
In hoc pariter Campo
non segnis in Martios ausus fama
vocales MIERICCIORVM vrget tubas.
Quò cruentum Gradiui opus
& bellicæ virtutis amor
Achilleum inuitat pectus.
Clangente hic Bellonâ,
documentum capitur,
memorem KOTFICIORVM gloriam in certamine natam
Vberius solum KOTFICIO CAMPO
fæcunda laudibus ac immortali honore
GRZYMVLTOWSCIORVM Arbor
non inuenit.
quæ
vt exspectanti Patriæ
aureos germinaret fructus,
vltrò suos nobiles ramos G in

in clauas Ducum, Senatorias Curules
ac reliqua trabeati honoris insignia
præscindi curauit.
Maluit certè truncata
ac superfluo frondium decore uiduata haberi,
quàm pio Patriæ desiderio ac honori eius deesse.
Maior RADOMICCIO CAMPO
accedit laudum apotheosis,
dùm inclytis NIEGOLEWSCIORVM Turribus
nesciis in rudera flecti,
ipse in situm ac fundamentum cessit.
Suos Ægyptus vel Alexandria
parciùs jam celebret colossos;
cùm præstantior istarum sit gloria:
ex quibus
mille clypei & omnis armatura fortium
pendet in subsidium Patriæ.
Certum sibi Lechia
non deesse potest iactare munimen,
vbi armatus miles
ad reprimendos hostium impetus
in ipsa Turrium excubat porta.
Nouum encomiorum thema
RADOMICCIO subit CAMPO,
quòd antiquâ origine & gloriosis factis
commendabili MIELZYNSCIORVM Nouinæ
patulus haberetur.
Non alibi Heroicum pedem iuuit decurrere,
nisi hic,
quò immortalis gloriæ & honorum meta
generosam inuitat plantam.
Decuit etiam bellatorem gladium
Martio calentem æstu
in hac Bellonæ vagari area;
quæ victoriarum ac trophæorum Campus est,
hostiliq; madens cruore,
victrices parturit laureas.
Victorem hunc chalybem,
cui
vel inuitus ipse Gordius cederet nodus,
non ut ahenéâ solùm; sed

sed aurea quoq; ambiant monumenta
& triumphatrices circumdent oleæ,
Martiales curæ & studia
exigunt è pondere meritorum.
Nobiliori Bellerophonteis ac Diomedeis
KRETKOWSCIORVM,
ZALESCIORVM & MYCIELSCIORVM
Soleæ
cruce insignitæ, in cursum:
Sagittæ, in metam
non alius debebatur Campus,
nisi RADOMICCIVS.
In quo
illustris solea
nunquam moriturae gloriæ imprimeret vestigia,
& pernix sagitta
præfixum contingeret perennis famæ scopum.
Inclytæ GOSTYNSCIORVM Vulpes
eleganti laudum impulsæ desiderio;
in huiusce Campi stadio
diu victuram venantur gloriam.
Non inuident suam leonibus Lybiam,
pantheris Persiam, camellis Thraciam;
vt potè,
quas amæna KOTFICII CAMPI fouet venustas,
illis perenne honoris & gloriæ
supplendo pabulum.
Serena GARCZYNSCIORVM Phœbe
& nobile par siderum
Sarmatico lucere orbi nata
altiores non ambiunt sphæras.
dùm RADOMICCII CAMPI orbita
Lechici cæli gloria
natiuam illorum lucem,
non modico laudum honorisq; tractu extendit,
Illustrem Sagittam
splendido stellarum stipatam satellitio
è lunati arcûs sinu vibratam,
non aliò,
nisi in sublimia gloriæ & honorum
decet

decet contendere,
Aurea in KOTFICIO CAMPO fortunæ meta destinatur,
quam auratis cuspidata stellis
perennaturæ laudis studiosa tangat arundo.
Hic etiam insignis
KVNINSCIORVM & CHOINSCIORVM Abdank
spectari gaudet.
Cælo vicinas ac Olympo æmulas moles
superba non iactet Memphis.
Nobiliores in KOTFICIO CAMPO vertices
ac potiora trophæorum eminent monumenta,
quæ
splendor Natalium,
Sanguinis nexus & Heróá virtus,
perennaturæ Habdankorum Nominis honori s
in triplici culmine erexit.
Non adduco hîc
& aliarum nobilissimarum Prosapiarum
cognati sanguinis splendorem,
quem stabilis amor in KOTFICIO CAMPO reposuit
ac pulchro fæderis nexu
Auito RADOMICCIORVM associauit honori:
cùm nouerim
feliciòris hoc opus & officium esse calami,
cuius ope ac obsequio
collecta Familiarum decora,
securis etiam transmissam sæculis
posthumam suam iactent gloriam,
in cordibus superstitum perennantem.

III.

Illustrissimi Senatoris
dotes, virtutes, honores & merita.

Iusta gloriæ possessio
& nobile encomiorum argumentum est,
præclarè Majorum factis probari:
Auita quippè virtus & Antecessorum dignitas
ingentem laudum censum
ac non vile Apotheosis vectigal
successivo Nepotum honori subministrat;
Cùm certum sit, ampli

ampliori tractu
in hæredes animos alueum gloriæ,
quàm sanguinis in cunas infantiles defluere.
Necesse est
Heróám præferat mentem generosa indoles,
cui congenita Paternæ fortitudinis
non raró inest cum sanguine facultas,
& quem hæreditaria Virtus
ingenito vrget calcare:
Fortes enim creari fortibus,
indubitatum est.
Primum hoc laudis thema debetur
Illustrissimo olim & Magnifico Domino
D. CASIMIRO
de Radomicko
RADOMICKI.
Castellano Calissiensi, Mosinensi &c.
CAPITANEO,
quòd ex Nobilissima KOTFICIORVM Prosapia
duxerit ortum,
tot clarissimis Viris & Heròibus insigni.
nimirùm:
- - - - - - - - - quemcunq; requires
Hac de stirpe virum, certum est de Principe nasci.
Per titulos numerantur Aui, semperq; renatâ
Nobilitate vigent & passim fixus in omnes
Cognatos procedit honor, seriemq; Nepotum.
Nec inferioris gloriæ
Materni Prærogatiua generis
præstantissima VIEYSCIORVM Familia,
quæ vetustate & natiuis Heròibus commendabilis
illustrem ei largita sanguinem,
felicem Natalium geminat pompam.
Effuso in lucem fauit Lucina,
aureos diuturniori vitæ eius inserens dies
& felicia momenta.
Postquam infantilibus puer renuntiauerat cunis
& ætas aptam studijs detexerat indolem.
Nouam Melitam mittitur
H in

in Posnaniense scilicet Collegium LVBRANSCIANVM
tenellus Heros,
literarum præsidio contra ignorantiam armandus.
vbi strenuum se probauit Athletam
in puluere scholastico,
dùm intra breue tempus,
capacem disciplinæ mentem
togatæ militiæ imbuerat rudimentis.
Placuit post Athenas adire Sarmaticas,
Almam inquam Academiam Cracouiensem,
Regni Scholam,
Lechiæ Ocellum,
inclytam Musarum sedem,
fæcundam æquè ac fortunatam ingeniorum Altricem.
vbi
Clarissimo olim & Excellentissimo Domino
D. M. LVCA PIOTROWSKI
Vniuersitatis Cracouiensis immortali decore,
Phœbi Musarumq; delicio,
dignissimo Professore desudante,
in eum eruditionis & doctrinæ peruenit culmen,
quò paucis patet iter.
& per ardua abruptaq; scientiarum
negatur aditus.
Fortunatum Chironem,
cui nouum Achillem erudiendum
Lechica commiserat Thetys.
Nec hunc quoq; infelicem,
quem tanto ac tali Præceptore iuuit profecisse.
Vtriq; è voto cessit fortunæ calculus,
annuente studiis tempore.
Literis probè imbutus
Orbem etiam peragrauit;
vt aduerteret
quàm pugnent diuersarum gentium ritus
ac legum condendarum disciplina.
Immaturæ eius ætati
honor & authoritas
adiunxêre itineris Comitem

Per-

Perillustrem olim & Rndissimum Dominum
IOANNEM GROBLICKI I. V. Doctorem.
Cathedralem Posnaniensem Canonicum.
Collegij Lubransciani Directorem.
Noscendus magis
quàm notitiam capessiturus
longinquos permeabat Triones:
& cùm peregrinas aliorum mentes
non visarum vrbium ac affabrè artefactorum operum
curiosa inuitent spectacula,
ille augustæ suæ indolis
& virtutis nouo spectaculo,
exteros detinuit admirantes:
Adeò difficile,
vel in gemmantis ævi vere
magni premuntur spiritus,
ipso innocui candoris sese depingunt penicillo
ac in rudibus pueritiæ lineamentis
non falsam secuturæ amplitudinis
ideam efformant.
Dignus laudari curiosæ mentis
& animi censorem agentis impetus,
qui
intra fines Patriæ se coarctari non passus,
exotica lustrauit Climata
decentiùs existimans
remotas etiam ac alieno sole calentes
scrutari terras,
quàm in natali solo
pacatioribus curis intentum delitescere,
Orbemq; in Orbe nescire.
Feliciter reducem domestici excepêre lares,
cuius Patrium peregrino vacuum fuco
agnouêre animum.
Tyrocinia obsequiorum
Serenissimo olim & Potentissimo
VLADISLAO IV.
impenderat.
In fidelitatis certamine

à ne-

á nemine vinci passus,
cuius niueæ mentis ac serenæ indolis candor,
interdum fucatos superauit canos.
Adultior ætas
auitam eius explicuit mentem,
durioribus Bellonæ studijs
armorumq; curis natam.
Et ne priuatorum solicitudo,
bellaces è generoso pectore extruderet spiritus,
Marti nomen, ætatem castris,
dexteram armis, consecrauit.
patientiá durum instruendo corpus,
vt nulli cederet labori.
Exciuerat eo tempore in perniciem Patriæ
furiosa Erynnis
infamem Cosacorum colluuiem,
contumaces animos in arma exacuens;
vt Giganteo illorum ausu
ac coniuratis viribus,
Lechicus concideret Orbis.
Malesano rebellium impetui
animosa iuuentutis Polonæ restitit pietas,
cui etiam commilitonem se adiunxit
strenuus Heros,
iusto defendendæ Patriæ calens Marte.
Vtrinq; non modico tempore
dubius lusit Mars,
variante fortunâ:
cùm virtus proh dolor? cederet numero,
& dein virtuti furor succumberet.
donec
Infames Thracum turmæ, Cosaciq; rebelles
Edomiti paribus tandem cecidêre triumphis.
Enituit illîc in acie
magnanimi Herois fortitudo,
inuictam manum
ac impauidam pro Patria ferentis mentem.
Perennabit dexteritatis eius gloria,
quamdiu Berestecenses laureas
deprædicabit fama.

Nec

Necdum de toto exstinctum
rebellem furorem,
noua ab Aquilone secuta tempestas.
quæ laceram Sarmatiæ Nauim,
iterùm armorum fluctibus
& cruenti Martis agitauit procellis.
nimirùm:
Balticus ille transmarinus Leo
suâ non contentus sede,
tanti discriminis securam inuaserat Lechiam.
Hostilia fatiscenti Patriæ
superbus intulit arma,
vt ciuili Marte fatigatam,
faciliùs iure belli & armorum potestate occupâret.
Nec hîc etiam
non segnes ad arma manus
poscente Patriâ,
Martius Sarmatici Achillis emarcuit spiritus.
Inuictam ille cum armis induerat mentem,
vbi pius defendendæ Patriæ amor,
bellaces animos acuebat in Martem.
Fortunæ victoris restitit imperterritus Heros,
dulce & decorum pro Patria mori existimans,
dùm proprio ære.
aliquot catafractorum & leuioris armaturæ cohortes,
Glogouiæ collectas, aluit.
vt non minùs labenti Patriæ afferret subsidium,
quàm eleganti armorum studio,
attonitos Ciues
ad similem virtutis excitaret ardorem.
Quantum pro salute Patriæ,
Victricia eius arma & castra desudârunt:
Viuit adhuc, completq; vagis sermonibus aures
Gloria fusa Viri, quam nec ventura silebunt
Lustra, nec ignotá rapiet sub nube vetustas.
Quinimò tanti Herois
Nomen fama vehet trans æquora, transq; remotas
Thetyos ambages, Atlanteosq; recessus.
Noluit probatam eius fortitudinem

Sere-

Serenissimus olim & Bellicosissimus
IOANNES CASIMIRVS
impræmiatam dimittere:
quippè cum videret illius
zelosum erga Religionem,
pium erga Patriam,
ac fidele erga Regalem thronum, pectus.
in præmium Martij laboris,
Heroæq; virtutis stipendium,
honorem Castellaneatûs Calissiensis
vltrò ei contulit.
quem ille ægrè suscepit
existimans æquè esse;
haberi dignus honore
ac trabeatos capessere fasces.
Sic è cruentis Bellonæ laboribus in acie,
victrices laureæ
& Senatoria curulis ei nata.
Indutus sago Lechicus Achilles,
meruit etiam togâ
ac Senatorio paludamento vestiri.
Augustæ tanti Senatoris dotes
& animi integritas,
augustum pariter Serenissimi olim
MICHAELIS I.
in sui amorem pellexerant pectus.
vt quod
sincera Regalis genij conceperat voluntas,
illud officiosâ exaratum manu,
oculos & amicam edoceret mentem,
certè
alteri Alexandro
fidus non defuit Hephæstion.
Pari beneuolentiæ studio,
tanti Senatoris genium
prosecutus est.
Orientis fulgur, Meridiei terror,
Occidentis desiderium, Septemtrionis gloria,
Orthodoxæ Religionis scutum.
barba-

barbararum gentium Victor
ac Otthomani Orbis domitor
Serenissimus ac Inuictissimus
IOANNES III.
Agnouit hic bellacem Herois animum,
non imparem Bellonæ curis.
ac proindè dignum,
quem suo Regali adiunxisset lateri,
æquè periculorum ac trophæorum socium.
Iuit imperterritus Heros,
licet jam gradæuus annis,
canitiem galeâ premens,
vbi publicos iuuit mereri plausus.
ac vbi
Fata Christiani Orbis
ab impio Paratonij Tyranni pendebant ense;
Fortunatum Athletam
Austriacus Orbis
stupuit & veneratus est.
cuius etiam dexteritatis auspicio,
insolens Thracum concidit fastus
ac fracta succubuit potestas.
Viuet armorum & virtutis eius gloria,
quousq; Viennenses vernabunt laureæ.
Magnus Heros
Naturæ opus ingens & multi temporis labor,
ita ad Martis studium natus,
vt generosiorem alterum aut prudentiorem,
vix tulerit sua ætas.
Ejus
Narrem iustitiam, resplendet gloria Martis.
Armati referam vires, plus egit inermis.
Quippè
quem acies vidit in sago Achillem,
eundem Senatus spectauit in toga Consum,
ex vtroq; probauit Cæsarem.
Suæ virtutis spectaculo
Lechicos impleuit Triones.
Nec exinde sibi maior visus est;
sed manifestior.
Edq; morum suauitate dignitatem temperauit qua

quæ omnem inuidiam amoueret.
Ex virtute,
non ex rerum ſucceſſu, bilaris.
- - - - - - - - - *etenim virtutibus ille*
Fortunam domuit, nunquamuè leuantibus altis
Intumuit rebus, ſed mens circumflua luxu
Nouerat intactum vitio ſeruare rigorem.
Nullius cupiditatis labe
ſuam inquinauit gloriam.
Omnia in eo perficiebant
vno veſtigio incedentes.
prudentia & integritas.
Fauorabiliori naturæ dono
in illum miſta fluxêre,
quæ ſeorſim ſparguntur in omnes
& quæ diuiſa beatos efficiunt,
collecta poſſedit.
Cleri & præcipue Seraphicæ Religionis
Cultor & Patronus,
cuius Caliſſienſi Conuentui;
annuum prouentum ex Caſtellaneatu
quotannis largiebatur:
ſciuerat enim
Chriſtum in paupere Franciſco triumphare,
totumq́ id pia damna refuſuris
impendi cælis;
quidquid egenæ pietati donaretur.
Quod de magnificentia
ac dignitatis cura detrahebat,
honori Cælitum impendebat,
miſeræ egeſtati ac orphanæ indigentiæ erogando.
Sic non tardante eius ope,
ad lætitiam creuit pietas.
Et quantumuis hucuſq;
infractum ſeruauit animum
- - - - - - *contraq́ minantia fata*
Peruigil, euentuſq́ ſibi latura ſecundos
Maior in aduerſis micuit
ſemper mens illius;
nihilominùs tamen
iuſto ſuccubuit dolori.

quem inopina chariſſimæ filiæ ſuæ mors
exciuit.
vt cogeretur,
tempeſtiua natæ conqueri fata,
quorum ineluctabili poteſtati,
ipſe breui in ſpolium ceſſurus erat.
Aſt interdum
ad dolorem componi & lachrymas effundere
non imbecilli pectoris teſſera.
aut conſtantiæ labes;
ſed amariſſimæ pietatis officium
& amoris validiſſima lex.
Cui certè neminem obtrectare decet,
niſi qui hominem exuit,
vt inter feras aut rupes cenſeatur.
cùm certum ſit,
propè homines non eſſe,
qui dolere nequirent:
vbi caſus exigit humanitatis Officia.
Exſtinctæ nomen Conſtantia,
nouiſſima Parentum proles,
& dulce ſolatium.
innocui pudoris flos ac gazophylacium virtutum,
virgineæ laudis norma,
non diu vitalis formæ ac ſexûs ſui gloria.
Quæ vix auroram vitæ ſuæ exorſa
& iam improuiſæ noctis nuntia Heſperugo
vitalem eius coarctauit diem.
dùm nouum Ver parturiret flores
& pulchra Chloris,
ſuis euanidis ſuperbiret muneribus,
innocuum hunc florem,
crudelis decerpſit Libitina,
cæleſti inſerendum Vireto.
Repentinum dolens obitum,
breui ſecutus immatura filiæ fata
maturus ipſe:
cum iam ætatem 13. luſtris & ſuprà vno anno,
virtutum & meritorum gloriâ,

Lechicum impleuisset Orbem.
Defunctæ superstitem in terris agere noluit,
quam viuus apprimè dilexerat;
sed mærens concessit ad Manes,
in Regione viuorum beatiori fruiturus æuo.
Tanto decore & fulcro orbata
Illustrissima Domus,
ex illius occasu,
grauem renouati doloris excepit ictum.
Sed parcendum est luctibus,
nec lachrymæ impendendæ sunt funeri eius,
cuius nunquam morituræ virtutes,
Oculos & mentes superstitum
spectatæ non rarò detinuêre.
Viuit quippè post funera virtus.
&
Effugiunt structos fama decusq; rogos.
Perennabit eius gloria,
qui semper gessit immortalibus digna fastis,
& virtutum priuilegio ac meritorum dono,
immortalitatem sui Nominis consecutus est.
Illum aget pennâ metuente solui
Fama superstes.
In cuius Gentilitio CAMPO
crudelis Libitina feralem erexit Cupressum:
in eo jam victrices laurus, nobilesq; palmæ,
gratiori omine excrescant & verneant.
Nempè
vbi squalida arbor,
dolorem & sepulchrales exciuit lachrymas,
illic fauorabilior aliquis exsurgat palmes,
cuius auspicio,
discussis luctuum nubibus,
in hilaria & duratura gaudia,
pullatæ mentes serenentur.
Sic me Vate:
KOTFICII *nunquam marcescet gloria* CAMPI.
Cuius vernabit tempore quouis honor.



